Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1223
Quelle:
Copyright:

racione plurimum adhortatur. Initium: *Compulsus crebro rumore admirabilium uirtutum tuarum* &c. Ad calcem egregiae huius Epistolae adjecit Librarius: *1426. die 26. Augusti.* Cl. *Mazzuchellius Vol.* II. P. 4. p. 2210. ejus Editiones enumerat, et Exemplaria Mss. quibus et nostrum adde.

III. *fol.* 36. *Sequitur descriptio baden. id est. balneorum Constansiensium.* Est nota illa *Poggii Bracciolini* Epistola tempore *Constantiensis* Concilii ad *Nicolaum Nicolum* celebrem Medicum *Florentinum* scripta de *Badensibus* in *Helvetia*, quo excurrerat, Thermis, quae incipit: *Si vales, bene est* &c. *Per quendam contribulem meum scripsi ad te ex Constantia* &c. et legitur in edit. Opp. *Poggii Argent.* 1510. *fol.* 68. in *Paris.* 1513. *fol.* 113. in *Basil.* 1538. *fol.* 297. Item inter Epistolas *Aeneae Silvii*, et in Tract. *Conr. Gesneri de Thermis*, qui extat inter *Scriptores de Balneis*, *Venet.* 1553. f. *fol.* 290. ubi tamen Epistola haec perperam dicitur ad *Leonardum Aret.* scripta.

IV. *fol.* 38. *Theoderici* cujusdam Narratio declamatoria de infelici Casu *Alfonsi V. Aragonii*, qui dum 1435. post mortem *Joannae Neapolitanae* regnum occupaturus *Cajetam* obsideret, a *Philippo M.* Duce *Mediolani*, *Genuensibus*, et obsessis erumpentibus terra marique victus, et una cum Fratribus *Joanne Navarrae* Rege et *Henrico* Infante captus est. Initium est hujus modi: *Teodericus clarissimo uiro Ludowico de tolleto decretorum doctori plurimam salutem. Solebam ad te de hijs que in hac sacra synodo agebantur, ac de alijs minimis maximis mediocribusque rebus litteras uti preceperas mittere.* Synodus memorata non alia est ac *Basileensis.* Post Praefamen sat prolixum *Narratio* ipsa in VIII. *Particulas* dispescitur, quarum *tres* priores ipsam rei gestae seriem exponunt, *quarta* de Regum fortuna philosophatur, *quinta* consolatur Reges captos, *sexta* ad *Catalanos* et *Aragonenses*, *septima* ad Reges cunctos, *octava* peculiariter ad Regem *Castellae* (Joannem II) paraenetica est. Particula prima sic orditur: *Nosti siquidem Vir disertissime antiquam controuersiam ac inueteratam questionem Illustrissimi principis regis Aragonum ad apulie regnum vendicandum. Illud quidem an jure vendicet, tu optime scis, nec fuit propositi hic enarrare. — Illustrissima iohanna Regina jam ut deo placuit Vite huius nexibus absoluta Omnes ferme principes. duces. Comites quidem et barones eius Regni Regi Aragonum debitam fidelitatem. deuotionem omnimodam obedientiam denique omnem ac reuerentiam prestiterunt. Quare rex ipse cum regni magnatibus ciuitatem illam fortissimam gaetanam muro maris septam ex ea parte qua terrestrem nescit obsidionem nauali exercitu. Ex alia vero firmo armatorum campo vndique circumpressit.* &c. Ultima Opusculi

sunt: